



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ALBAE IULIENSIS*** DIOECESIS ALBA IULIENSIS AD GRADUM ARCHIDIOECESIS EVEHITUR Quod satin constat dioecesim Albam Iuliensem recentioribus his temporibus conspicuos in ipsis Catholicae Fidei ac religionis rebus progressus fecisse, iam nunc ea ipsa Ecclesia digna quoque videtur, quae et maiore condecoretur honore. Re igitur reputata consensuque etiam suppleto quorum interest vel interesse censetur, Nos, qui ad spiritalem Christifidelium utilitatem potissimum intendimus, vi et potestate Nostra Apostolica harumque Litterarum virtute memoratam Albam Iuliensem dioecesim a Metropolitana Ecclesia Bucarestiensi seiungimus, statuentes ut ea dehinc Apostolicae Sedi immediate subsit, dum eandem ita seiunctam, etsi Ecclesiis caret sibi suffraganeis, evehimus ad gradum archidioecesis eiusque ipsius pro tempore sacrorum Antistitem titulo Archiepiscopi insignitum nunc et iuribus et privilegiis exornamus eiusmodi dignitatis propriis. Quibus proinde, una cum obligationibus ad eundem Praesulum ordinem pertinentibus, auctum et astrictum Venerabilem Fratrem Ludovicum Balint, qui Episcopus eidem in praesenti praeest Ecclesiae Albae Iulienae, honore archiepiscopali honestamus, cuius particeps etiam Canonorum Capitulum reddimus, quod congruis iuribus ac privilegiis praeditum novae inserviet archidioecesi. Haec omnia, quae hic statuimus, ad effectum adducantur a Venerabili Fratre Ioanne Bukovsky, Archiepiscopo titulo Tabaltensi ac ad praesens in Dacoromana Republica Nuntio Apostolico, quem ad id deputamus, cui et facultatem facimus id delegandi ad alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere utcumque addito curandi ut certum verumque actae executionis litterarum exemplum ad Congregationem pro Episcopis cito transmittatur. Has denique Litteras Apostolicas nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet haud obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS SODANO, archiep.

Secretarius Status

BERNARDINUS card. GANTIN

Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Antonius Macculi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXIII (1991), n. 11, pp. 917-918 © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana
